



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Thomas Ep. M. 29. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

puram si ambit , domi habet ; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Percat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes bimulorum cunas everte ; balneum his para cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille ; cum interea Angelus parvulum Regem , magnumque exulem in Ægyptum, gloriosa fugâ, deducit. Sæviit nihilominus barbarus mucro. Ubique clades, & funera. Vidiſſes majora vulnera quam corpora, plus lactis fundi quam sanguinis ; hunc saxo, illum capulo frangi ; hunc è gladio, illum ab hastâ pendere , multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœnas tyrannus : morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cum tot homicidia parricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit, periitque. At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quod talis infantes timuerit. Ex Baron. & Saliano.

Si temporalis & speciosa nos delectat domus, quanto magis spiritualis mansio decora & celestis nostrum sibi debet vendicare affectum? non minus in spiritualibus quam in temporalibus inveniamur cupidi, potissimum cum ista momentanea sint, illæ æternæ. S. Laur. Just. de SS. Innocent.

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

Non jam primum sanguine piorum rigaris Anglia. Jam olim fuso THOMÆ cruori frustum debebas, nisi eheu ! sterilitatem hærefis induxisset.

duxisset. Sed ego ad THOMAM me verto. Adolescens cum eripere aquis accipitrem laboraret, ipse iisdem pœnè abreptus est. Sed molæ rota extitum alias ad natantibus, tunc sponte suâ constens, THOMÆ scala fuit. Debebat scilicet diutius Angliæ regno, cuius Cancellarius postea creatus a rege est. Paulò pòst hic insulam Cantuariensem addidit: quam tanti THOMAS fecit, ut hanc postea regi edictis impiis contra Ecclesiastiam pugnanti non dubitarit opponere; quin solâ cruce armatus cum irato congregari. In illa pugnâ, ut amat fieri ad tribunalia, damnatur innocentia ad vincula. Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum rex omnes amicos THOMÆ egit, ut si ncn suæ, suorum certè miseriæ succumberet. Sed his calamitatibus ille ad martyrium, velut tyro ad palum, se exercebat. Nec multò pòst ipse conspicuus Christus ad palmam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit THOMAS in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulū deinde præbet, cadit, & muneris sui neque post mortem oblitus, bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando THOMA, bene Angliæ tuæ precare. Ex Eduardo.

Nihil in homine, cui curiositas prospicit, invenies. Fribolla prorsus & inanis ac nugatoria consolatio: & nescio quid illi durius imprecet, quam ut semper habeat, quod requirit, qui jucundæ quietis fugitans curiosâ inquietudine delectatur. S. Bern. in sent.